

Franckesche Stiftungen zu Halle

Papatus Prōton Pseudos, Seu Primum Falsum

Rechenberg, Adam

Lipsiae, [1701?]

VD18 1158694X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-200362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-200362)



7. 7.

DE

PAPATUS R.

Πρώτω ψάδι,

Sen

PRIMO FALSO.

§. I.



Um multae & gravissimae, ob diversa Religionis placita, nostram inter & hodiernam Ecclesiam Romanam, sint dissensiones; tum illa praecipua nobis esse videtur, quod Romanenses seu Papaei Ecclesiam habeant pro STATU REGNI, sive MONARCHICO. Inde ipsis Pontifex est Rex & monarcha ἀνυπεύθυνος, qui DEI vices in terris gerat, jura reddat ac imperet liberrime, dominatum non tantum in clerum, quem vocant, sed etiam in ipsos Summos Principes habeat; ita, ut illos, si statum suo adversentur, coërcere atque deponere queat. v. Cardinalis Bellarmini l. V. de R. Pontif. & tractat. ejus de Potestate Summi Pontificis in Temporalibus, adversus Gvil. Barclajum, Sanderi de visibili Monarch. Eccl. Lib. III. seqq.

§. II.

Ecclesiam hinc Romanam, ejusque formam ac regimen

A

men

men si intuearis, nil nisi Regnum & Monarchiam despoti-
cam referre deprehendes, cujus compages per mille ar-
tes ita consolidata fuit, ut nullum in orbe Regnum eidem
par censeriqueat. Cum enim ceterae Respublicae atque
Regna securitatem suam praecepue spectent; cujus gra-
tia cives non tantum tributa pendunt, sed vitam etiam pe-
riculis objicere quandoque opus habent; Pontificiae do-
minationis ratio status poscit, ut ad auctoritatem, poten-
tiam & opes Pontificis ac cleri R. omnia referantur. Hu-
jus *Status* securitatem ille, non suis impensis aut praesidi-
is, sed civium, qui aliorum imperio subsunt, opibus atque
obsequio firmat: dum populo Christiano persuasum fuit,
Pontificem esse universae rei Christianae arbitrum ac Ser-
vatoris nostri J. CHRISTI in terris vicarium, ut absque
illius auctoritate res Christiana salva esse nequeat. v. *Artic.*
Smalcald. part. II. art. IV. Pufendorf. tract. de Monarchia
Pontificis R. & libr. de Habit. Relig. Christi. ad vit. civilem.
Blondellum de Primatu in Eccles. Ludovicum Molinaeum, &
Cl. Salmasium de Primatu Papae. Unde Bellarminus in
praefat. in libr. de Summo Pontif. impudenter scribit: *Ete-*
nim de qua re agitur, cum de PRIMATU PONTIFICIS
agitur? Brevisime dicam, de SUMMA REI CHRI-
STIANAE. Id enim quaeritur, debeatne Ecclesia diutius
consistere, an vero dissolvi & concidere. Quid enim aliud
est, quaerere, an oporteat ab aedificio FUNDAMENTUM
removere, à grege pastorem, ab exercitu Imperatorem, solem
ab astris, caput à corpore; quam, an oporteat aedificium ru-
ere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus
projicere? Et Lib. III. de Laicis c. 19. eandem ob causam ne-
gat, Protestantes, etiam si caetera omnia cum Papistis credant,
conciliari cum his posse, quamdiu R. Episcopi universalem Epi-
scopam negant, ob cujus solam negationem, Aërius pro bae-
re.

retico sit declaratus ab Epiphanio, haeref. 75. quod tamen impudens mendacium est.

§. III.

Operae ergo pretium fuerit, demonstrare *Πρώτον* *Ἰεῦδος*, sive **PRIMUM FALSUM** in Papatu **PLACITUM** esse, Ecclesiam à **CHRISTO** institutam, debere esse **STATUM** Monarchiae despoticae **AEMULUM**, imò **TYRANNICUM**. v. Salmas. Appar. ad libr. de Primatu, p. 226. & Pr. Pap. c. XI. Hoc vero tam ex divinis literis, quam ex primitivae Ecclesiae constitutione atq; praxi arduum probatu minus fuerit; cum neque **CHRISTUM** neque Apostolos, Statum, aut Monarchiam novam condere voluisse, ullo praecepto aut indicio ex S. literis constet. v. Append. Artic. Smalcald. de Potestate & Primatu Papae, p. 340. seqq.

§. IV.

Etenim sive scopum & finem incarnationis **CHRISTI** respicimus, sive doctrinam ejus & vitam in his terris transactam attendimus, nullum hujus maxime sane arduae rei vestigium adparet. Nam illius finis erat, peccata humani generis expiare, atque huic Patrem suum reddere propitium, ut perditum salvaretur, Matth. XVIII, 11. Luc. XIX, 10. Joh. III, 16. 17. 18. Hujus vero (doctrinae) scopus fuit, S. Baptismo initiatos, salutari doctrina & fide imbuere, ut **DEO** per **CHRISTUM** redunirentur homines, salviq; fierent, Matth. XXVIII, 18. 19. 20. Marc. XVI, 15. 16. Joh. XX, 31. Ideo poenitentiam praedicare iussit, quippe sine qua homo reconciliari **DEO** nequit, Luc. XXIV, 47. Act. II, 38.

§. V.

Nec in vita & moribus **CHRISTI** quidquam, quod Regni aut status novi monarchici indolem sapiat,prehenditur. Omnia ad humilitatem maxime fuerunt

composita ; cum non haberet , ubi caput reclinaret , *Matth. VIII, 20.* Magistratus & Judicio officium in causis civilibus recusavit , *Luc. XII, 13. 14. Job. VIII, 11.* Et cum Regis mundani honorem populus per miraculum cibatus , ipsi deferre constituisset , eundem fugit , *Job. VI, 15.* Ac licet Regem veritatis se professus sit coram Pilato *Job. XVIII, 37.* quae *confessio* , Paulo I. Tim. VI, 13. *bona* dicitur ; tamen simul declaravit , *Regnum suum non esse de hoc mundo* , seu quod simile sit aliis Regnis & Imperiis , quibus Reges in subjectos populos utuntur. Certe , si *statum* quendam voluisset formare *novum* , non imbelli discipulorum turba stipatus incesisset , sed validissimas adscivisset Angelorum legiones , quae Dominum adversus omnem vim hostium fuissent defensurae. Accedit quod ipse in hoc humilimo statu , se Magistratus imperio submittens , pro se ac Petro tributum exsolverit , *Matth. XVII, 27.* & discipulos suos , cum imperandi ambitione flagrant , hanc ob causam *Luc. XXII, 24. seqq.* graviter objurgarit , humilitatis studium illis praecipiendo ; ut , se ministros ac veritatis ab ipso traditae praecones esse , cogitarent. *Conf. Matth. XX, 21. 22.*

§. VI.

Doctōris ergo , seu *Magistri* , non *Regis* in isthoc humilimo statu officium obivit. *Nam circumivit benefaciens & sanans omnes , in quos dominium habebat diabolus , Act. X, 38.* Discipuli , quos adscivit , numero pauci , inermes ac inopes fuere , firmando *statui* plane impares. Noluit etiam quenquam ad obsequium doctrinae & fidei , imperio compellere , aut humanis illecebris , opibus , divitiis & honoribus ostentatis , ad se pertrahere ; futurae in coelo vitae gaudia tantum affeculis suis promisit. *Matth. V, 12.* ad quae paranda , morte sua opus fuit , *Hebr. IX, 12. seqq. Job.*

Job. XVI, 7. Hinc CHRISTI officium, stilo scripturae, *Propheticum & Sacerdotale* appellari solet. Regium vero, quod vocatur toto coelo, a Regi terreni imperio differre, jam ex *Job. XVIII, 37.* probavimus. Bene in h. l. *Augustinus tractat. 115.* Audite ergo *Judaei & gentes* : audi circumciso, audi praeputium : audite omnia regna terrae : non impedio dominationem vestram in mundo, regnum meum non est de hoc mundo : nolite timere metu vanissimo, quo *Herodes major*, cum Christus nunciaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis, quam irascendo crudelior. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo : venite credendo, & nolite saevire metuendo. conf. *E. Richerii Lib. III. c. 2. §. 4. de Potest. Eccl. in R. T.*

§. VII.

Primi etiam, qui discipuli, & Apostoli ab officio vocantur, CHRISTI sectatores, cum post resurrectionem a morte, ante ascensionem, mandato propagandi ab ipso traditam doctrinam, instructi essent; nihil de statu novo in gentium civitatibus formando uspiam tradiderunt. Nec in CHRISTI, qua ipsos inauguravit Apostolos, instructione, quidpiam de statu, qui Regnum referat, condendo legitur: Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, *Job. XX, 21.* nempe, ad evangelizandum pauperibus, ut apud *Esaiam LXI, 1. Luc. IV, 18.* extat. Imo, ut omnis ambitio in docendi munere vitetur, noluit illos vocari Magistros, cum unus sit veritatis divinae Magister, ipse CHRISTUS, *Mattb. XXIII, 10.* Unde Paulus functionem Apostolicam vocat ministerium a CHRISTO acceptum *Actor. XX, 24.* & Apostolos horumque adjutores ministros appellandos esse dicit *1. Cor. III, 5.* quod eorum potestas ministerialis tantum ac spiritualis esse deberet. confer *E. Richerii de Potest. Eccles. in rebus temporal. Lib. III. c. 1.* ideo nec il-

ios, uspiam imperium aut iubendi potestatem affectasse,
postea, consignatum legimus. Notus Pauli stylus, 2. Cor.
V, 20. *nomine CHRISTI legatione fungimur, & velut*
DEO vos precante per nos, rogamus CHRISTI nomine, re-
conciliamini DEO. Armis etiam, quibus potentia status
firmatur & defenditur, Apostoli caruerunt; cum *militiae*
suae Apostolicae arma non essent carnalia 2. Cor. X, 6. sed spi-
ritualia, Ephes. VI, 11. seqq.

§. VIII.

S. Petri hic *auctoritas*, & *Jus Imperii* ipsi a CHRISTO
traditum, à Pontificiis scriptoribus quidem vulgo obverti
solet; ac si ipse Princeps aut velut Rex Sacrorum in Eccle-
sia, a CHRISTO fuisset constitutus. Verum jus hoc e-
minentissimum quod prætenditur, ex tribus, ut notum
est, locis figuratis, ubi PETRÆ Matth. XVI, 18. 19. CLA-
VIUM Matth. XVIII, 18. & PASCENDARUM CHRISTI
OVIUM, Joh. XXI, 15. 16. 17. mentio fit, probare conten-
dunt. At dictum CHRISTI Matth. XVI, 18. nihil, ex quo,
Petro, multo minus Episcopis Romanis, Principis sacri di-
gnitas, aut primatus aliquis oecumenicus in universas Ec-
clesias exstrui queat, continet. Ille enim suo & Aposto-
lorum nomine ibi confessus est, *JESUM esse DEI viventis*
filium, Joh. VI, 69. Qualem confessionem etiam Joannes
Baptista ante Joh. I, 34. 36. & Andreas v. 42. & mox Phi-
lippus & Nathanaël v. 45. 49. ediderunt. Haec confessio,
JESUM nempe Nazarenum, esse verum Messiam DEIq; vi-
ventis filium, cum sit religionis Christianae fundamentum,
Joh. XX, 31. ideo CHRISTUS addit: SUPER HAC PE-
TRA, h. e. edita fidei confessione, AEDIFICABO EC-
CLESIAM. Quo vero modo inde primatus Petri, & E-
piscoporum Romanensium dominatus probari queat, ne-
mo unquam mortalium, vel probabili saltem ratione e-
vin-

vincere poterit. Id concesserim, fundamentale hoc fidei Christianae dogma esse, cum nemo CHRISTI discipulus audire possit, nisi hac edita confessione. Matth. X, 32. 33. Joh. XI, 27. Act. IV, 12. VIII, 37. IX, 20. 22.

§. IX.

Clavium Potestas, quae Petro data fuit, Matth. XVI, 29. etiam reliquis Apostolis Joh. XX, 23. tradita est; quibus tamen nullum jus Regni, eo nomine collatum fuit. Nam illa non potestatem despoticam, sed *ministerialem* functionem involvit, ac ad remissionem retentionemque peccatorum restringitur. Quia remissis peccatis, cui reliqua salutis media intelliguntur conjuncta, coeli aditus patet; remanentibus autem illis cum reatu suo, coelum clausum manet: quippe in quod nihil impurum intrare potest. Quae tamen potestas nec à CHRISTO, nec ab Apostolis per *modum jurisdictionis* exercita fuit; sed ubicunque poenitentia & fides praesto erant, ibi remissio facta est peccatorum. Nulla enim judicii forma in N. Testamento legitur constituta, quando hac potestate delegata Apostoli usi sunt. Regnum illi coelorum referarunt, cum poenitentibus atque credentibus gratiam DEI & peccatorum remissionem, propter CHRISTI satisfactionem Patri suo praestitam, annunciarunt: Contra illis, qui poenitentiam aspernati, credere in CHRISTUM mundi Salvatorem noluere, occluserunt. Proinde potestas clavium, nullum jus aut medium parandi aut exercendi imperium notare potest.

§. X.

Pascere oves itidem in Sacris literis non significat imperare aut dominari, sed ovibus de pascuis providere, illas regere, & aberrantes a grege reducere voce & baculo mitius uso. Dominari autem ovibus, non est pastoris, qua

qua pastor, sed domini, qua illarum dominus est, qui pastoris ministerio tantum utitur. Ita CHRISTUS hic ovium per figuram dictarum Dominus est ac simul pastor oecumenicus; qui hoc domini jus in suas oves, h. e. credentes, nulli pastorum, quos in Ecclesia constituit, concessit. De pascuis, de pabulo animae saluari, per doctrinam ac sacramentorum administrationem illis prospicere, pastores Ecclesiae iussit. Quae cura & opera ministerialis, non despotica est. Neque ipsum ovile CHRISTI, cui ecclesia comparatur, indolem regni mundani habet, aut eam referre potest.

§. XI.

Si Apostolorum, & quos hi socios ministerii sacri adsciverunt, instructionem atque auctoritatem à CHRISTO concessam contemplamur, nihil quod ad statum monarchicum formandum, necessarium est, ullo in locoprehendimus vel constitutum, vel ab iis usurpatum fuisse. Instructio CHRISTI *Mattb. XXVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15. Job. XX, 21. 22. 23.* extat, tribusque officii Apostolici partibus praecipue constat: quae sunt, *docere omnes gentes, baptizare, & officio clavium fungi.* Huic mandato obtemperantes Apostoli *Marc. XVI, 20.* nihil juris, quod imperium sapiat, sibi arrogarunt. Praesertim, cum CHRISTUS ipsis ante *κρίσειν & ἐξουσιάζειν* dominari aut potestatem imperandi sibi vindicare, diserte interdixisset, *Luc. XXII, 25. 26.* S. Petrus omnibus Christianis praecepit, *subditi estote omni humanae creaturae*, 1. Epist. II, 13. in quem locum *E. Richerii* explicatio Lib. II. de *Potest. Eccl. c. 7.* legi meretur. it. *Salmasi. de Primat. Pap. c. 3. p. 40.*

§. XII.

Et sane, si CHRISTUS *Statum Monarchicum* per Petrum, aut alios Apostolos in orbe stabilire voluisset novum,

vum, necessum fuerat *territorium* certum, sedemque Regni novi designasse, reditus ad alendum statum necessarios nominasse, cum jure exigendi tributa, potestate ferendi & abrogandi leges; item cum jure belli ac pacis, ut recusantes imperium coërcere, hostesq; depellere potuissent. Nihil vero horum, quae ad statum talem condendum requiruntur, vel Petro vel aliis Apostolis a CHRISTO indultum, aut ab his affectatum fuisse, legimus. Quin potius omnia, quae Apostoli egerunt, secus se habent. Nam post adscensionem CHRISTI ad coelum, in universum, qua patet, terrarum orbem dispersi, nullum territorium, nullam imperii sedem quaesivere. Qui ipsos adventantes hospitio recipere, aut docentes auscultare noluerunt, ab illis, excusso prius de pedibus pulvere, discesserunt, juxta Salvatoris monitum *Matth. X, 14. Act. XIII, 51.* Pecuniam, quae nervus alias rerum gerendarum dicitur, nec habuerunt, *Act. III, 6.* nec mercedem pro labore informationis postularunt, contenti stipe vel eleemosyna ab auditoribus ultro data. Gratis acceperant, gratis dederunt. *Matth. X, 8.* Paulus manuum opera, panem sibi paravit. *1. Cor. IV, 12.* Pietatem in quaestum vertere Apostolis nefas semper judicatum fuit. *1. Tim. VI, 5.* Leges, quod civilem populi statum attinet, accipere, iisque parere suos auditores jusserunt, *Rom. XIII, 1. 2.* dare semper abstinuerunt. Tantum abest, ut in statu civili publico quidquam mutatum voluerint, ut potius illum servandum ipse Petrus mandarit, *1. Petr. II, 13.* Dummodo vitam ad CHRISTI regulas attemperarent & pie viverent, expectantes veram felicitatem in coelo. Jus belli & pacis sine imperio & peculiari populo sibi arrogare Apostoli nec poterant, cum inermes essent, nec volebant, cum ne doctrinam quidem suam cuiquam obtrudere satagerent.

B

Ho-

Homines, amica praemissa salutatione, ad Regnum CHRISTI invitabant, quod statum hominis externum non mutat, aut a civili imperio eximit; cum intra hominem ac in animo sit, *Luc. XVII, 20. 21.* Itaque nulla coactione, sed doctrina tantum & suasionem opus fuit; ne gratiae divinae per verbum praedicatum placide operanti resisteretur. Uno verbo, CHRISTI Regnum, a *statu Monarchico*, toto coelo distat. Unde & qui bonus in Republica civis audit, in Regno CHRISTI malus civis aut Christianus esse potest. Et eheu! plurimi sunt, qui dum honestam vitam transigunt, se bonos Christianos esse, persuasum habent, nescientes, vitam Christianam, alios mores poscere.

§. XIII.

Qui Ecclesiae Christianae, quam Apostoli in universo plantare orbe iussi erant, indolem intimius considerat, status eam Monarchici incapacem esse, fateatur necesse est. Nam illa quidem societas est, sed mystica, fidelium per fidem CHRISTO adhaerescantium, ejusque verbum audientium & Sacramentis utentium, ubicunque locorum agant. CORPUS SUMVS, inquit *Tertullianus Apol. c. 39. de conscientia Religionis & spei foedere disciplinaeque unitate*, cujus caput solus CHRISTVS est, quam sibi per redemptionem acquisivit. *Ephes. V, 23. 24. 25. 26. 27.* Qui ergo ex adultis factus Christianus, non mutavit personam civilem, quam ante gessit. Servus non factus liber, civis non solutus obligatione civili, qua ante obstrictus summis imperantibus vixit. *Rom. XIII, 1. seqq.* Hinc *Tertull. Apolog. c. 42. itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris ceterisque commerciis habitamus hoc seculum: navigamus & nos vobiscum militamus, & rusticamur & mercamur.*

mur. Proinde miscemus artes, operas nostras publicamus
usui vestro. Mutatio, quae suscepta CHRISTI fide ac-
cidit, ad animum spectat, ac adeo interna est. Quae de no-
ster Lutherus egregie in praefat. in Epistol. ad Romanos
differit.

§. XIV.

Cum Christianorum numerus per praedicationem
verbi divini, in orbe jam esset auctior factus ac numerosus;
in prioribus tribus ab Apostolorum aetate seculis, de no-
vo statum monarchico condendo, ab iis ne cogitatum quidem
fuisse, certum est. Hostes quidem Ecclesiae, inter alias
atroces calumnias, Christianos, ac si mutationem status
molirentur, apud Caesarem accusarunt; verum *Tertul-
lianus in Apologetico suo*, hanc pariter ac ceteras calumnias
graviter diluit & amolitur: *Si enim & hostes*, inquit *Cap.
XXXVII. exertos, non tantum vindices occultos agere velle-*
mus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures ni-
mirum Mauri & Marcomanni, ipsiq. Partbi, vel Marcomanni
vel quantaecunque, unius tamen loci & suorum finium, gen-
tes, quam totius orbis. Hesterni sumus, & vestra omnia
implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula,
castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum.
Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non
prompti fuissimus, etiam impares copiis, qui tam libenter
trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi lice-
ret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, sed
tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos
dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis re-
moti sinum abruptissemus a vobis, suffudisset nationem ve-
stram tot qualiumcunque amissio civium, imo & ipsa destitu-
tione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem ve-
stram, ad silentium rerum & stuporem quendam quasi mor-

tui orbis : quaesivissetis , quibus imperaretis ; plures hostes
quam cives vobis remansissent : nunc enim pauciores hostes
habetis prae multitudine Christianorum. Et c. XXXVIII.
Proinde nec paullo lenius inter licitas factiones, sectam istam
(Christianorum) deputari oportebat, a qua nihil tale com-
mittitur, quale de illicitis factionibus timeri solet. Nisi fallor
enim, prohibendarum factionum causa de providentia con-
stat modestiae publicae, ne civitas in partes scinderetur, quae
res facile comitia, concilia, cives, conciones, spectacula eti-
am, a mulis studiorum compulsationibus inquietaret, cum
jam & in quaestu habere coepissent venalem & mercenariam
homines violentiae suae operam. At enim nobis ab omni glo-
riae & dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas coe-
tus, nec nulla, magis res aliena, quam publica. Unam omni-
um Rempublicam cognoscimus, mundum. Ex quibus adpa-
ret, Christianos veteres, licet numerosissimi essent, a
statu novo in republica formando abhorruisse. Nulla il-
lorum inter se conventio, ad constituendum statum mo-
narchicum necessaria : nullum inter illos, super nova
regiminis forma introducenda, consultatio aut decre-
tum. Postquam miseriam suam, in tenebris ante versati,
ex luce Evangelii deprehendissent, de animae aeternae sa-
lutis cura tantum anxii, DEVM salutis autorem per
CHRISTVM omnibus conciliatum quaesivere, in sta-
tu civili jam constituto manentes, sive cives, sive servi es-
sent. Disparis quippe indolis Ecclesiam, cui adgregati
erant, & Rempublicam esse societates, noverant, origine,
forma & fine maxime differentes, id quod B. Pufendor-
fius, cujus argumenta passim inspersimus, in aureolo libro
de *Habitu Religionis Christianae ad vitam civilem*, solide
demonstravit. §. XV.

Ordo equidem in Ecclesia jam Apostolorum aevo
con-

constitutus fuit; ut alii essent Doctores & Episcopi, alii
 auditores; sed nullus inter hos imperandi & parendi or-
 do, ut in civitate constitutus est, qui aliquid imperii re-
 doleret. Totum Episcopi officium Spiritus fuit λειτουργία,
 ministerium, non ἀρχή, imperium, ut Salmasius *Adpar. ad*
libr. de Primat. Papae p. 227. 265. docet. id quod etiam Ed-
 mundus Richerius, Doctor Sorbonicus celeberrimus *Libr.*
III, 1. de potestate Ecclesiae in rebus temporalibus, erudite de-
 monstravit. Inde §. IV. colligit: Procul dubio quamdiu
 Ecclesiastici ex CHRISTI praecepto & disciplina Apostolo-
 rum, Patrumque antiquorum totam spem suam, in observa-
 tione mandatorum DEI, atque opibus Spiritualibus colloca-
 runt, rerumque humanarum sollicitudinem, fastum, super-
 biam & sapientiam mundi, avaritiam, ambitionem & domi-
 nandibidinem abjecerunt; Christiana Religio & summa pi-
 etas invitis satanae & mundi potestatibus longe, lateque per
 universum orbem propagata est, ac portae & vectes inferni
 comminuti sunt. Contra vero ubi luxur & typhus seculi in
 Ecclesiam irrepsit, atque Ecclesiastici multo plus terrenis
 quam spiritualibus subsidiis confidere visi sunt; atque in-
 super praetextu ecclesiasticae auctoritatis & libertatis asse-
 rendae, sibi potestates seculi, ut eos per lubitu abrogarent,
 subdere conati sunt: quod est mysterium iniquitatis a tempo-
 ribus Apostolorum speciose irrepens. Certe tum boni mores,
 caritas, vera solidaque pietas profligatae sunt, eorumque
 loco superstitio, hypocrisis, odia, dissensiones, factiones, schi-
 smata, haereses innumerae, bellaque intestina & strages po-
 pulorum, urbium excidia atque ipsiusmet imperii Romani o-
 mniumque Regnorum & potestatum politicarum ruina suc-
 cesserunt, aliaque mala certatim ex profundo Erebo in mun-
 dum incubuerunt. Quae consideratio tempore Philippi Pul-
 chri Francorum Regis, nescio cui post Thomam Cantipatra-

num, Dominicanum, occasionem praebuit fingendi, Luciferum tenebrarum principem, nuncium ad Praelatos contra CHRISTI & Apostolorum instituta viventes misisse, quo luculenter clericorum sese negotiis secularibus immergentium, depravatos mores describit, & iisdem mirifice congratulatur, quod infernum a CHRISTO, Apostolis & Ecclesiae primitivae Patribus vacuatum, de integro hominibus CHRISTI sanguine redemptis resarciant. Quam Epistolam laudatus Richerius ex codice MScto Bibliothecae D. S. exscriptam p. 172. seqq. exhibet, lectu sane dignissimam. In eandem sententiam B. Lutherus noster ante Richerium graviter differuit, in *Art. Smalcald. Part. II. Art. IV.* item in *Appendice illorum, de Potestate & Primatu Papae tractatu, per Theologos Smalcaldiae congregatos conscripto*, cujus Melanchthon, ut B. Seckendorffius in *Hist. Lutheranismi Tom. II. l. 3. f. 156.* annotat, praecipuus autor fuit.

§. XVI.

Palliare tamen *Statum Ecclesiae Monarchicum*, per mysterium iniquitatis 2. *Theff. II, 7.* constitutum, notissimis illis vocabulis, *potestatis Ecclesiasticae & Spiritualis*, R. Pontificis aeternae nituntur; ut Principibus & Regibus *politicam* ac *secularem* reliquisse, adeoque imperium, quod ipsis jure divino competit, non invalisse aut arrogasse sibi videantur. Enimvero istorum vocabulorum involucro aut furo, summis imperantibus clerum Romanensem imponere, manifestissimum est. Genuino enim illarum vocum significato tantum abutuntur ad tegendam *παμ- βασιλείαν* Pontificis, quae post Hildebrandi seu Gregorii VII. tempora orbi Christiano satis innotuit atque gravis fuit.

§. XVII.

Nempe cum per varias artes, post sextum a CHRISTO

STO

STO nato seculum, ingruente maxima literarum & mo-
 rum barbarie, Episcopi Romani Ecclesiam in Regnum
 terreno simile, imo illo longe eminentius immutare
 connisi essent; illud vero Regibus ac Principibus invidi-
 osum juxta ac periculosum videretur; invidiam hanc, vo-
 cabulis *ecclesiastici & spiritualis* regni usi emollire, depre-
 cari, atque imperium novum sic illis acceptum reddere,
 studuerunt. Quem fucum & fraudem seculo demum un-
 decimo Principes Christiani, cum Gregorius VII. *πα-
 ρισιλείαν* ad fastigium perduxisset, ac in Caesarem omnes-
 que Reges ac Principes imperium arrogasset, animadver-
 terunt. Ex eo tempore sub vocabulis Ecclesiae catholi-
 cae, & monarchiae ecclesiasticae & spiritualis, Regnum
 mere terrenum Pontifices Romani tenuere, statum mun-
 danum sub simulacris *potestatis ecclesiasticae*, & ceremoni-
 arum copioso adparatu velantes. Et qui hunc tangere
 ausi sunt, in eos fulmina excommunicationis statim para-
 ta, aut igni ferroque tanquam in pestilentissimos haere-
 ticos saevire coeptum est. Dominatum tamen istum vel
 potius tyrannidem Papae, ante quadringentos annos,
Marsilius de Menandrino, *Patavinus* vulgo dictus, in libro,
Defensor Pacis, sive *Apologia pro Ludovico IV. Imperatore
 Bavaro*, erudite impugnavit, quae opera Beati Rhenani,
 qui in eum, assumpto *Licentii Evangelii* nomine, praefatus
 est, in lucem prodiit. Hic cum *Part. I. c. 6. de veri Sacer-
 dotii sine & origine à DEO post lapsum instituti differuisset*,
Part. II. c. 4. demonstravit, nec Papam nec ullum ministrum
Evangelii jure divino in Politia aut Ecclesia habere dominium:
nec oblatum ei ab aliis, suscipiendum: sed magistratui subesse
debere, Christi testimonio & exemplo, Patrumque orthodoxo
consensu edicit. Fraudes etiam Pontificias, quae in dictio-
 nibus Ecclesiae, *Judicis, spiritualis, temporalis* latent, *part. II.*

c. 2. detexit. : adeo, ut has Auctor, qui librum, cui *Jugulam causae* nomen est, adversus Papatum in Anglia 1671. publicavit, non primum, ut quidem ipse putat, id observarit.

§. XVIII.

Verum parasiti curiae Romanae ipsimet imperium terrenum vocabulis istis (*ecclesiastici & spiritualis*) tegere amplius non possunt; quum Gregorii VII. *Dictatus* imperiosi non tantum manifesti sint; (ut, quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis: quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, canonicam Abbatiam facere: quod solis possit uti imperialibus insignibus: quod solius Papae pedes omnes Principes deosculentur: quod illius solius nomen in Ecclesia recitetur: quod unicum est nomen in mundo: QVOD ILLI LICEAT IMPERATORES DEPONERE: quod sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solius retractare possit: Quod Romana Ecclesia nunquam errarit; quod Catholicus non habeatur, qui non concordat R. Ecclesiae: QVOD a FIDELITATE INIQVORVM SVBJECTOS POSSIT ABSOLVERE:) Sed Bellarminus captata occasione ex parricidio Henrici IV. Regis Galliae, librum de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guiljelmum Barclajum evulgavit. Quo in libro juxta placita Directorii inquisitorum de mandanda executione Bullae Coenae Dominicae, asserit, Papam donatum a CHRISTO potestate irrogandi temporales, quinimo capitales etiam poenas, adversus quoscunque homines Christianos, & cap. 36. Barclajum graviter reprehendit, quod, Ecclesiam solas poenas spirituales posse imponere, dixerit: Falsum enim est, ait, quod Barclajus nimium saepe repetit, corporalem poenam in solius politici Magistr-

gistratus potestate positam esse, *cujus contrarium praxis ostendit: praesertim in tribunali S. Officii.* Liber ille Bellarmini 26. Nov. 1610. in Parlamento Parisiensi damnatus est: quod, ut sententia de illo pronunciata habet, contineat *falsam atque detestabilem propositionem*, quae tendat ad everisionem potestatum supremarum, quas DEVS ordinavit atq; instituit, & subditos ad rebellionem contra Principes suos, ad excutiendum jugum obedientiae; nec non similiter ad *caedem Principum, ad invasionem Regnorum & perturbandam tranquillitatem publicam, inducat.* Anno 1612. Martinus Becanus, Jesuita, librum edidit seditiosissimum Moguntiae, *Controversia Anglicana, de potestate Regis & Pontificis, contra Lanaelotum &c.* Quo in summam fecit omnium argumentorum Bellarmini adversus Barclajum, conclusitque omnes Reges & Principes Christianos, debere esse ad manum Pontificis tanquam acres canes Pastori: & si ignavi atque desides sint, posse abdicari a Pontifice &c. Qui liber, cum a Sorbonna Parisiis digna censura notatus esset, ex monito Nuncii Pontificis, Romae fuit suppressus: ne forte igne Lutetiano illuminaretur. Argumentum Jesuitae in eo praecipuum p. 125. est: *Quicquid potestatis ac jurisdictionis permissum fuit Pontifici in V. Testamento, hoc etiam in novo est permissum: At in Veteri permissum illi fuit, ut deponeret Reges, si id meriti essent; Ergo & in Novo Testamento permissum hoc illi est.* In quo tamen major & minor propositio falsissima est, ut alibi demonstratum. *Franciscus Svaes*, Granatenfis e societate JESU, cum anno 1614. *Defensionem fidei Catholicae & Apostolicae*, quam vocat, *adversus Anglicanae Sectae errores*, publicasset, docuissetque non tantum summo Pontifici auctoritatem competere Reges abdicare, sed etiam posse declarare & potestatem facere

C

pri-

privatim eosdem occidendi; liber ille in magna decuria
Parlamenti Parisiensis damnatus fuit. v. E. Richerii l. 1. de
Potest. Eccl. in Rebus temporal. c. III. §. 8. Quanto fervore a-
nimi, de summi Pontificis in Reges potestate, in comitiis
Regni Galliae anno 1615. inter ordines regni & clerum a-
ctum sit, *Gramond. Hist. Gall. Lib. I. p. 61. seqq.* tradit. Prae-
valuit vero sententia: quod R. Galliae unius Dei beneficio re-
gnat: quod neminem in temporalibus agnoscit: quod sa-
cerum ipsius caput est; adeo, ut nemini jus sit, cum quocunque
praetextu occidere.

§. XIX.

Fucum tamen hic iterum Principibus facere isti a-
dulatores Papae solent. Nam inter *potestatem directam,*
& *indirectam* in Reges distinguunt, eoque invidiam im-
probi dogmatis amoliri student. *Bellarminus enim lib.*
V. de Pontif. R. c. 1. cum eorum sententiam, qui summum
Pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in
universum terrarum orbem, tum in rebus ecclesiasticis,
tum politicis, expresse suam facere se videri noluisse,
communem ut loqui amat, Catholicorum Theologorum
amplectitur: quae est, *Pontificem, ut Pontificem,* non ha-
bere directe & indirecte ullam temporalem potestatem,
sed solum spirituales; tamen *ratione spiritualis, habere*
saltem indirecte potestatem quandam eandemque summam
in temporalibus. itaque c. 2. negat Papam esse Dominum
totius orbis Christiani: c. 4. non habere *ullam mere tem-*
poralem jurisdictionem directe jure divino. At fucum tan-
tum facit. Nam quando c. VI. Papam habere summam
temporalem potestatem indirecte asserit, hancque asser-
tionem capp. seqq. probare contendit, nihil aliud agit,
quam ut *παρβασιλείαν* in ecclesiasticis & temporalibus
rerum negotiis Papae adstruat. Ut mirandum sit, cur
pro-

propter hanc assertionem ipse curiae Romanae vel Pontificis invidiam incurreret. Callide enim imperium Papae absolutum in temporalibus etiam isthac voce *indirecte* regere tantum, non negare voluit. Id quod tum ex argumentis ejus, tum ex libro adversus Barclajum, & *lib. I. de concil. & Eccles. c. 12. & lib. II. c. 17.* adparet.

§. XX.

Etenim *Lib. II. de Pontif. R. c. 26. & libr. sententiatu adversus Barclajum*, imperium directum & absolutum re ipsa Papae in vitas, negotia & dominium imperatoris ac Regum adstruit, omnesque Principes ejusdem imperio mancipat; ut ab eo deponi, & alii in eorundem locum surrogari queant. Ideo vult, ab illis Papae homagium praestari. Nec erubescit scribere, a temporibus Caroli M. Germanos imperatores suum imperium debere Papae, a quo eximantur clerici ab imperio laicorum, hancque exemptionem & immunitatem, beneficium Paparum esse, non Regum; nec Apostolos fuisse Potestatum secularium, ibid. c. 27. fuisse probare nititur, datam a CHRISTO Papae potestatem statuendi de Regibus & eorum Regnis ad lubitum. Imo *in libro*, qui sub nomine *Matthaei Torti*, prodiit p. 84. 85. nefandum facinus Jacobi Clementis Monachi, Henrici III. R. Galliae interficientis laudat: *ultus est*, inquit, *DEUS Christum suum, dum per alium sacratum virum, aliqui militiae imperitum, & inermem, Regem eundem non sine manifesto divinae providentiae miraculo interfecit.* Sane, qui Caesarem & Principes ita subiectos Papae esse statuit, ut illos deponere, eorumque regna in alios transferre queat, is absolutum illi imperium quoad temporalia tribuit, sive *potestatis directae* sive *indirectae* vocabulo utatur. Hoc vero cum multis aliis Bellarminus, Becanus & Svares faciunt: itaque vocabulorum

lusu ambiguum, fucum tantum imperitis faciunt. Clari-
mentem Jesuitarum *Santarellus* e societate Jesu presbyter,
libro de *summi Pontificis potestate* exposuit; quando Pa-
pae potestatem in Principes *directivam, correctivam & pu-
nitivam* tribuit. Quam ob causam iste liber damna-
tus & servi publici manu in ignem coniectus fuit, v. *Gra-
mondi Hist. Gall. lib. XV. p. 675. sequ.*

§. XXI.

Argumenta, quae post male detorta S. Scripturae lo-
ca, Bellarminus in primis pro statu monarchico, in Ecclesia
stabiliendo, *lib. I. de Romano Pontifice, c. 1. 2. 3. seqq.* urget,
ex politica doctrina petita sunt: *Quia circumstantiis se-
culis, Monarchia simplex absolute & simpliciter excelleret;*
*ideo Ecclesiasticum regimen debere esse monarchicum, ut ca-
put,* contendit. Hic vero in prima demonstrandi princi-
pia Cardinalis cum sociis impingit; quando conclusio-
nem theologicam, quae juxta Pontificios scriptores est de
fide, ex principio politico dubio, ac adeo diversa disciplina
vult probare. Quod dialectici *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*
vocant. Adhuc enim controversia est, an *monarchicus*
status apud omnes gentes sit optimus. Sane in contrari-
um aliae rerum publicarum etiam formae commendan-
tur, ut ex Graecorum & Romanorum historia notum est.
Sed hoc solenne est Pontificiis Scriptoribus, ut Papae Ro-
mani auctoritatem, multaque alia Ecclesiae suae placita
probaturi, ex rebus politicis argumenta desumant, cum
Ecclesiam, statum esse debere, sibi falso persuasum habe-
ant. Ita cum in colloquio Ratisbonensi *sess. IX.* de iudice
controversiarum quaestio moveretur; Jesuitae illam ex
politicis iterum scitis determinare contenderunt. Quo-
rum ratiocinium hoc potissimum fuit: *Si in omni Republi-
ca bene ordinata aliquis iudex praeter scriptam legem re-
qui-*

quiritur, tunc in Ecclesia, utpote rectissime ordinata, alius etiam iudex, praeter scripturam S. scriptam legem admitti seu assignari debet; sed verum est primum illud, antecedens: Ergo & posterius sive consequens. Hic saltus e Theologia in forum civile factus est: Unde ratio pro decidenda quaestione theologica perperam petebatur; cum Republicam inter & Ecclesiam CHRISTI maximum sit discrimen. Quod *Cornel. Martini in tractatu de Analys. Logica part. all. c. 2.* erudite etiam demonstravit. Quemadmodum & *cap. 3.* absurdum Pontificiorum probandi modum ostendit, cum R. curiae assentatores, ex pravo similiter saltu, evincere conantur, Pontificem R. esse in controversiis visibilem iudicem, quem errare non posse, statuunt; videlicet quando ex cathedra definiendo sententiam ferat. Enimvero CHRISTI Ecclesiam hautquam redolere statum monarchicum, inter ipsos Pontificios Doctores, celeberrimus Theologus E. *Ricberius*, tum in *Historia Concilior. Generalium*, tum in *libro de potestate Ecclesiae in rebus temporalibus*, accurate satis demonstravit. Quanquam eam ob causam, malam apud Pontificem R. ejusque parasitos inierit gratiam, quod regimen Ecclesiae aristocraticum esse debere contenderit. Ex nostra autem hypothese supra adstructa, constare potest, quod illae disputationes; annon status Ecclesiae, si non sit monarchicus, aristocraticus aut democraticus esse debeat, frustra sint? Si enim Ecclesia CHRISTI, nullum plane statum, civili aut politico similem referre debeat, nec majestatem habeat, frustra disputatur; an aliqua Reipublicae forma illi adaptanda sit? Nam sicuti illi, qui in Republica aliquam societatem literariam, aut collegium aliquod, constituent, non novam rempublicam in Republica faciunt, aut eo ipso a summorum imperantium imperio, quoad officia

civilia eximuntur ; ita & Christiani, qui mysticam in Republica societatem formant, non ideo a civili potestate fiunt exempti, aut novum statum regimenque debent constituere ; sed manent ejusdem conditionis in republica, qua ante fuerunt noti. Hinc & trita Protestantium vox est : *Ecclesia est in Republica* ; puta, ut alia societas, & collegia, quae licet certis juribus aut privilegiis gaudeant, imperio tamen civili obnoxia manent, *Rom. XIII, 1. seqq.* Si enim Ecclesia peculiarem in Republica statum formaret, hoc modo in una civitate, duo summa imperia introducerentur, quorum unum alteri obniteretur, ac adeo statum Reipublicae concuteret. Id quod Germanicum Imperium, ab eo tempore, quo autore Hildebrando seu Gregorio VII. Papae potestas in eo invaluit, non sine maximo damno expertum est. Divisum enim ille cum Caesare, habere imperium coepit. vid. S. R. I. Principum ac Procerum centum Gravamina adversus Sedem Romanam in comitiis Norimberg. Anno 1522. proposita, & celeberrimi Ex-Jesuitae Maimburgii *Histoire de la Decadence de l'Empire apres Charlemagne*. Quae vero mala inde in rempublicam redundarint, historiae illorum temporum, & *Is. Casaubonus* ad Frontonem Duceum Epistola, & Jacobus VI. Magnae Britanniae Rex, in *Apologia pro Juramento Fidelitatis* loquuntur. Nec *M. A. de Dominis*, qui in libris suis de *Republica Ecclesiastica* quidem monarchicam formam merito rejecit ; *Aristocraticam* tamen *Lib. I. c. 12.* defendere mavult, ad stipulamur. Quia ecclesia non est status reipublicae civilis aemulus, aut illi quoad formam regendi par. Nam in Aristocratia requiritur, ut summa potestas sit penes senatum aliquem perpetuum ; cujus sit deliberare, & de omnibus negotiis ad talem statum pertinentibus statuere. Atqui talis senatus ecclesiasticus nunquam

quam legitur in Ecclesia constitutus. Concilia, quae allegantur, talem Senatum hautquaquam repraesentant; cum sint conventus temporarii, quales etiam in regnis & democratiis fieri solent. Taceo, quod quilibet Episcopus in sua dioecesi, sine aliorum consensu externam Ecclesiae disciplinam dirigendi potestatem habeat. Quod in Aristocratiis secus fit.

§. XXII.

Equidem regimen aliquod externum in Ecclesia necessarium est, ut ordo inter doctores & auditores constet, morumque disciplina, & τὰς καὶ ἐνοχλοσύνην, ab Apostolo commendata, cum externa tranquillitate conservetur, *Eph. IV, II. 1. Cor. XIV, 40.* At postquam Ecclesia Christiana, Christianos Magistratus nacta est, id juris, ceu pars summi imperii, Christianis Principibus, aut summis Imperantibus divino jure competit, quod stylo ecclesiastico, jus Episcopale vocari solet. Hoc Principes quidam ante a Pontificibus R. post reformationem Lutheri ereptum, sibi iterum jure meritoque vindicarunt. Id quod *B. Hülsemannus Brev. c. XIX. de vocation. & ord. Ministr. Eccl. §. 18. c. XX. de Magistr. Polit. §. 7. seqq. H. Grotius de Jur. Summar. Potest. circa sacra, & Jo. Schilterus, Ictus celeberrimus de Libertate Eccles. German.* solidis argumentis demonstrarunt. Atque hinc omnes Ecclesiae doctores, quod *externa* quidem Ecclesiae *negotia* attinet, summorum imperantium potestati subesse debent; licet quoad *interna*, quae vocantur, Ecclesiae res & negotia, ut praedicare verbum DEI revelatum, administrare Sacramenta ex CHRISTI instituto, clavium officio fungi, & quae cum his connexa sunt, ab imperio civili non debeant: nisi quod ubi Doctores exorbitent, ac in his officii partibus errent, aut divinas, ut saepius accidit, regulas transgiant, imperantes, cognita prius

prius per idoneos viros Christianos causa, eosdem corrigere, aut coercere possunt ac debent: Ne aut veritas divina violetur, aut a turbidis doctoribus, sub illius obtentu, ex maligna affectuum intemperie, Ecclesiae tranquillitas temere turbetur. *Internum* quod dicitur, *regimen*, per praedicationem verbi divini, & curam disciplinae ac morum, a ministris ecclesiae illorum peritis & vitae sanctimonia conspicuis geri debet; ut in domo, a bono patrefamilias, *1. Cor. IV, 1.*

§. XXIII.

Mirari hic certe subit, Principes Christianos, tamdiu, non tantum R. Pontificem in societatem imperii, in regnis suis & ditionibus admisisse; sed etiam illius semet imperio ex parte submisisse; dum ejusdem jurisdictionem in ecclesiasticos aut clerum, in suis regnis aut ditionibus degentes, commodisque majoribus quam cives fruantes, cum maximo Reipublicae onere ac damno tolerasse: praesertim cum subinde bonis ac commodis civium ad se trahendis inhiarit, clerumque ab omnibus civilibus oneribus immunem declararit. *Albertus Cranzius*, Canonicus olim Hamburgensis celeberrimus, vir maxime cordatus, ante Lutheri Reformationem, in *sua Metropoli l. XI. c. 24.* satis argute id cleri vel R. Pontificis studium notavit; cujus verba recitari hoc loco merentur: *Sic enim statuerunt Pontifices, ut quotquot Ecclesiae majores aut minores apud sedem eandem vacuentur, provisio spectare debeat ad summum Pontificem. Bene Petrus laxavit retia, bene duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piscibus: unde merito audivit etiam in hoc casu a communi Domino: modicae fide, quare dubitasti? Num potens sum dare tibi provincias & regna? tu dubitasti: num potui orbem sedibus tuis subicere? Quare dubitasti? Nonne Domini est terra & plenitudo*

rudo ejus? Ecce magna pars Italiae tributaria tibi est: per
 universam Germaniam & Hispanias de Ecclesiis & majoribus
 beneficiis disponis: in Francia idem facturus, nisi nova adin-
 ventio PRAGMATICAE SANCTIONIS obsisteret.
 Ex Anglia & Polonia uber tibi proventus est, quia omnia in-
 de capita tibi censualia sunt. Hungaria mittit aurum, nec
 detrectat Illyricum: ergo laxa, Petre, retia: laxa, ut fiant
 capaciora: Duc in altum, quia ad littora nulli sunt pisces:
 in altitudine maris, in profundo nationum, ibi sunt pisces
 quos capias. Duc in altum, nam in Judaeae angustiis non est,
 quod impleat sagenam. In omnem terram cum sono exivit
 imperium tuum, ut non sit, unde merito possis dubitare.
 Amplificarunt per tempora summi Pontifices magnifice di-
 tionem Ecclesiae, non per ementitam Constantini Donatio-
 nem, quae nunquam facta est, sed per munificentiam aliorum
 Principum, sive de Gotbis, sive Longobardis, sive per Magnum
 Carolum: quod latius alibi ostensum. Amplificarunt in
 ecclesiasticis rebus, per reservationes, confirmationes & pro-
 visiones, simbrias suas. Laxarunt retia, & omnia in suam
 traxerunt potestatem. Mirabitur quisquis annales anti-
 quorum temporum legerit, temporum mutationes tum in ce-
 teris, tum maxime in Ecclesiastica potestate. Sed nemo
 diffidat aliter ista, quam dante Spiritu S. fieri, cujus nutu
 iusta potentes decernunt, cujus est regnum & imperium:
 nec frustra colluctati sunt Romanis imperatoribus. Confer-
 lis quae laudatus Cranzius Lib. I. Metropol. c. 14. de duo-
 bus Petri gladiis differit. Lib. II. c. 27. Pontificum R. stu-
 dia argute tangit, quando scribit: Alioqui faciens & do-
 cens, magnus est in regno coelorum. Nostra feliciora viden-
 tur tempora, ubi Pontifices evangelizandi ministerium rele-
 garunt in sacerdotes, ipsi superintendentes. Sic enim sonat
 episcopi nomen. Meliora sibi desumunt in decimis, primitiis
 & oblationibus, equis, armaturis, evectionibus magnificis in-
 D ten-

*tenti, curam gregis abjecerunt. Sed haec in aurem legenda,
 ne offendantur magnates, & dicantur, os in coelum ponere,
 dum quae supra nos sunt, carpere contendimus. Sed finis sit
 comparationum inter Pontifices veteres & nostros. Illi regna
 acquisiverunt aeterna per summae pietatis merita: nostri,
 si sua in pace & tranquillitate & rerum abundantia transi-
 gunt tempora, felices se praedicant: & vocantur, dum
 vivunt, sancti patres, bene etiam si hoc nomen retinent in
 morte.*

§. XXIV.

Mirum vero inde nemini rem accuratius expendenti videbitur; cur clerus Romanus, non tantum prisca Religionis Christianae instituta, ad statum monarchicum conservandum detorserit, multaque nova (ut jus canonicum & alia, in historia Concilii Tridentini P. Sarpri observanda) media invenerit, quae eo pertineant; sed etiam dogmata, quae fidei ipsis appellantur praecipua, eo inflexerit; ut iisdem vel dignitatis cleri aut auctoritatis Pontificis, vel opum & reddituum respectum subesse, non amplius lateat. Confirmavit id multis magnorum ac prudentum virorum testimoniis, anonymus Auctor, (quem *Ludovicum Molinaeum* esse, Vincentius Placcius de *Script. Anonym. c. 2.* existimat) in libro, cui *Jugulum causae* titulum fecit, *Londini anno 1671. edito.* Brevius & paullo clarius id demonstrarunt *Pufendorfius de Monarchia Pontificis R. §. 33.* Et venerandus Dissertationis meae dominus *Praeses, in disquisitione, de Ratione status Religionis & Ecclesiae Papae, anno 1672. edita.*

§. XXV.

Cum in Concilio Tridentino Imperator admittere nollet, Pontificem supra Concilium esse; graviter Pontifex Pius IV. offensus, literas ad illum dedit, probare contendens, se plenam & absolutam potestatem a CHRISTO accepisse, ad universalem Ecclesiam monarchice regendam. v. *P. Suavis Hist. Concil. Trident. lib. VII. p. 767. segg.*

segg. ideo & ante jam p. 738. obliterat, ne, si emendatio canonum fiat, quidquam suae potestati derogaretur. Calide tamen cavet; ne, dum ecclesiasticam jurisdictionem acriter defendit, de temporali potestate in Reges & Principes, mentio injiceretur, aut de eadem audacter disceptaretur. Facile enim praevidere poterat, Reges ac Principes hac in parte maxime refragaturos esse; cum jam sub ecclesiastica jurisdictione, secularem, Pontifices usurpare animadvertissent.

§. XXVI.

Ex his, quae in medium parce nunc quidem attulimus, liquet, concludendum esse; *monarchicum* in Ecclesia R. *statum*, vel *Monarchiam* in Ecclesia universali sub uno visibili capite, cui summum sit imperium in Ecclesias Christiani nominis universas, non tantum ex jure divino non esse; sed contra CHRISTI voluntatem & doctrinam, & Apostolicam ordinationem prorsus facere: Demto autem illo & remoto capite, vel in primum ac pristinum ordinem redacto, ut ultra Episcopi mensuram non assurgat, ipsam Episcoporum *προσθεσίαν*, quae a consuetudine ecclesiastica ortum traxit, utcunque tolerari posse, si partes officii episcopalis, sine fastu & dominatu, juxta institutionem Apostolicam, quae 1. *Timoth. III. 3* 2. *Ep. c. II. IV. it. Tit. I.* habetur, obirent. Nam & Episcoporum & Clericorum vitam ac mores, non longe a Nicaeni Concilii temporibus valde corruptos fuisse, eosque *πατρικήν κηδεμονίαν*, *paternam sollicitudinem*, in *τυραννικήν αυτονομίαν*, *potestatem tyrannicam*, & *λειτουργίαν*, *functionem ministerialem*, in *ἀρχήν*, *imperium* commutare coepisse, *Salmasius* de *Primatu Papae*, c. XI. ex idoneis Patrum testimoniis probat: Donec inter omnes alios, R. Episcopus praerogativa sedis nixus, monarchicum statum in orbe Christiano stabilivisset intolerandum. Cui tamen DEUS etiam terminum pro summa sua sapientia & justitia fixit, 2. *Thess.*

II, 8. *Apocal. XVIII.* Facile vero inde Lutheri asserto sua constabit veritas, quando Papatum, haeresin pestilentissimam dixit; quippe quae homini dat, quae sunt DEI, & quae DEI sunt praecepta, quae CHRISTI summi, & unici nostri Pontificis sunt axiomata, quae ejus sunt beneficia, quae salutis aeternae media ordinata vel corrumpit, mutilat, aut improba superstitione ac ἐθελοθρησκεία ad abusum inflectit, aut tollit; ut, quod per mysterium iniquitatis, regnum tenebrarum fuit conditum, sub nomine Ecclesiae R. Catholicae, instar petrae perftet, & qui illi praeest, *semet supra omne, quod dicitur DEUS, aut quod colitur, extollere possit. 2. Thess. II, 4.* Sed instat terminus fatalis a DEO praefixus, quo praeterlapso, lapsu graviore ruet, coetusque fidelium eo nomine DEUM aeternis laudibus praedicabit atque extollet,

Apocalyps. XVIII. & XIX.

COROLLARIUM.

Orthodoxa plane B. D. I. Affelmanni, Theologi olim apud Rostochienses accuratissimi verba sunt, quae in *Syntagm. exercit. Acad. part. alt. p. 275. seqq.* leguntur: ubi nunc ait intempestibus eorum Zelus, qui cane & angue pejus phrasin istam oderunt: DEUM QUORUNDAM INTERITUM VELLE, DIVINO BENEPLACITO REPROBOS DAMNARI? quasi ea non sit in ipsis sacris tabulis satis expressa, hoc ipso loco inquam, quo testes clausuri dicuntur coelum, quotiescunque voluerint, quorum voluntatem qui divinae haecenus non correspondentem dicere velit; nae iste quater ineptus erit. Quid? quod Deum RIDERE dicitur in interitu impiorum, Prov. I, 26. quod de filiis Heli affirmatur, 1. Sam. II. v. 25. eos non auscultasse voci patris sui, quia VOLUERIT Jehovah morte afficere eos; quod super interitu Papicolarum & Babylonis EXULTARE jubetur coelum, hoc est, Ecclesia tota triumphans *Apocal. XVIII. 20.* Error horum in eo consistit, quod inter ea, quae FINIS, & quae MEDIORUM, inter ea, quae GRATIAE & JUSTITIAE, inter ea, quae ad Symboli nostri articulum PRIMUM & SECUNDUM, & quae ad TERTIUM pertinent, distinguere parum noverunt, & quam ipsi frequenter in ore habent, e Patrum Schola, piam inter voluntatem DEI ἡγούμενη, καὶ ἐμμένει, ANTECEDENTEM & CONSEQUENTEM, distinctionem se non adsequi, turpiter demonstrant, confer ejusdem *Syntagm. part. I. disput. XVIII. de praedestinat. ad B. DD. Giessenenses Jo. Winkelmannum & Balthas. Menzerum, quos orthodoxae fidei propugnatores acerrimos vocat, p. 487. seqq.*

INDEX